

Filia et Spiritu Sancta, si minister baptismi ita egit " non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringens linguam. „ Sic quoque valebit forma baptismi, addito, e devotione praepostera, nomine B. M. V. nomini trium personarum divinarum; non valebit, si quis ita intendat quaternitatem personarum significare.

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

§ I. DE REQUISITIS AD SACRAMENTUM VALIDE MINISTRANDUM.

111. I. Ad valorem sacramentorum non requiritur in ministro status gratiae vel fides. Ita definivit Trid. (Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 12) de ministro qui in peccato mortali existat, et (Sess. 7. can. 4. de Bapt.) de ministro haeretico baptismum conferente. Idem fusius Dogmatici ex traditione demonstrare solent.

II. Ad valorem sacramentorum requiritur in ministris, dum ea faciunt, **intentio** saltem faciendi quod facit Ecclesia. (Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 11) Quare proscribitur ab Alex. VIII prop. 28^a: " Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus tamen in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia. „ Igitur nequaquam sufficit intentio faciendi illum ritum externum qui in Ecclesia fieri solet: nam, etiamsi serio iste ritus peragitur, actio haec mere profana esse potest, nisi accedat intentio faciendi quod Ecclesia facit, qua determinatur ut sit actio sacra seu sacramentum. Vid. cum sacramentum nemo conficere possit nisi quatenus ministrum agat Christi, oportet ut intentionem ita agendi explicite vel implicite habeat. Habebit autem explicite si intendit facere quod Christus instituit; implicite, si intendit facere quod facit Ecclesia. Hinc:

1^o Defectu intentionis minime consecrat sacerdos qui, ad rubricas addiscendas, verba consecrationis super panem recitat.

2^o Validus est baptismus collatus ab eo qui non credit illud esse sacramentum aut habere aliquam specialem virtutem, dummodo intendat facere quod fit in Ecclesia. Exemplum habes in baptismo quem medicus incredulus conferret puero periclitanti, unice ut faciat quod mater catholica ab eo cupit. (S. Th. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ql. 2. ad 1)

3^o Valet baptismus collatus ab haeretico qui nolit facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falso putans non Romanam, sed suam esse veram, etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio est, quod intentio generalis qua vult quod Christus instituit, praevalet intentioni provenienti ex errore privato. (Bus. ap. S. Alph. n. 25)

4^o Invalidae sunt ordinationes presbyterales vel episcopales ritu Anglicano peractae, ut definivit Leo XIII. (Const. *Apostolicae curae*, 13 Sept. 1896) Etenim, tempore Eduardi VI, ritus ordinationis immutatus est eo manifesto consilio ut alius induceretur ab Ecclesia catholica non receptus, utque id repelleretur quod facit Ecclesia et quod, ex institutione Christi, ad naturam attinet sacramenti, vid. potestas consecrandi et sacrificii offerendi. Quare " palam est non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem. „ (Const. cit.) Vid. Anglicani Ritualis redactores intenderunt quidem constituere ministrum quem sacerdotem vel episcopum nominare possent, nequaquam intenderunt verum facere sacerdotem. Notetur autem hic non agi de errore privato, sed de intentione publice manifestata mutandi ritus ut haeresim introducerent. (1) Cfr. n. 110, responsum Zachariae PP. Accedit defectus formae, de quo n. 428.

112. III. Ad valorem sacramenti requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis. *Requiritur*, seu non sufficit habitualis: nam necessaria est intentio quae possit denominare actionem factam esse a ministro, nomine Christi; ad hoc autem requiritur intentio quae influat in opus, quod tantum verificatur de intentione actuali vel virtuali; unde, sicut intentio habitualis non sufficit ut actio denominetur bona vel mala (Vol. I. n. 10), ita neque sufficit ut denominetur facta nomine hujus vel illius. (Lugo, disp. 8. n. 90) *Sufficit*, seu non requiritur actualis: nam haec a virtuali eatenus differt quatenus actus procedit a voluntate sub attentione reflexa ad actum voluntatis. Jamvero nihil probat talem attentionem ad valorem sacramenti necessariam esse: siquidem etiam intentio virtualis est formalis voluntatis actus. Immo, cum hujusmodi attentio non sit in nostra potestate et homo facile distrahatur, nimis durum et plenum scrupulis fuisset, si Christus hanc requisivisset. Hinc:

2^o Invalida esset administratio sacramenti facta ab eo qui in amentia, ebrietate, somno, etc. ritum sacramentalem poneret, etiamsi ante ebrietatem vel somnum id intenderit: ibi enim ad summum habitualis voluntas reperiretur. (Bus. l. c.)

(1) Haec videsis fusius exposita in erudita dissertatione P. Salvat. Brandi, S. J. Rome et Cantorbéry; commentaire de la Bulle *Apostolicae curae*. (1898) p. 125 suiv.

2° Non licet repetere formam sacramentorum quia cum distractione, etiam voluntaria, prolata est.

3° " Qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, prudenter non potest dubitare de intentione requisita, nisi hanc positive excludat; quia vult facere quod alias solet et quod faciunt similes ministri, quod sufficit. Item exercite cognoscit illas actiones esse sacras et poni non frustra, sed ad fines certos; ergo exercite intendit ut tales et ad istos fines, quod sufficit. „ Neque opus est " dicere ore aut corde: *Intendo hoc facere*, etc.: hae enim scrupulosae reflexiones potius devotionem impediunt hominemque perturbant. „ (La Croix, l. 6. p. 1. n. 59)

113. IV. Ad valorem sacramentorum requiritur ut conferantur **absque condicione** qua suspendatur eorum effectus, donec eventus futurus contigerit; excipitur tamen matrimonium, quod sequitur naturam contractuum. (n. 458)

Ratio est, sacramentum cum tali condicione collatum fore invalidum quando condicio haec purificabitur, quia tunc nec forma, nec materia ejus jam existent; antequam autem purificetur, pariter invalidum erit ob defectum intentionis in ministro: voluntas enim condicionata, quamdiu talis est, manet suspensa et nihil operatur, sed solum intendit conficere, impleta condicione de futuro. (Bonac. de Sacr. d. 1. q. 3. p. 2. § 3. n. 18) Requiritur ergo ut forma sacramentorum (excepto matrimonio) sit absoluta vel absolutae aequivalens, quae nempe ubi vera est condicio, statim transit in absolutam. Hinc:

1° Validum est sacramentum collatum sub condicione praeterita aut praesenti necessaria vel contingente, si condicio vere sit impleta, ex. gr. *absolvo te, si vis dimittere concubinam, si capax es; baptizo te, si non es baptizatus.* (Bus. ap. S. Alph. n. 25)

2° Nullum est sacramentum datum sub condicione futura, sive sit haec contingens, ut: *Absolvo te si restitues, si dimittes concubinam, etc.*, sive necessaria at adjecta animo suspendendi sacramentum, ut: *Absolvo te, si cras sol orietur.* (Bus. l. c.)

3° Si apponitur condicio occulta, humano modo incognoscibilis, ex. gr. *te baptizo si es praedestinatus, si Deus videt te hoc anno moriturum*: alii (La Croix, l. c. n. 81) probabilius opinantur condicionem esse de praesenti ideoque valere sacramentum, modo vera sit condicio; alii (S. Alph. n. 26) non valere censent, quia, cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi condicio, quae non possit cadere sub humana cognitione.

4° Graviter peccat qui sacramenta (excepto matrimonio) administrat sub condicione suspensiva de futuro, vel occulta et minime cognoscibili: quia in priore casu nihil agit; in posteriore, nugatur in re gravissima et

magnum infert detrimentum suscipienti, qui scire nequit utrum valide an invalide susceperit. Item regulariter graviter peccat qui collationi sacramenti apponit condicionem de praesenti vel praeterito absque causa rationabili: quia sacramentum periculo nullitatis exponit et Christo principali ministro irreverentiam infert. Attamen non nisi leviter peccare videtur qui hujusmodi condicionem apponat quam absque dubio sciat jam in re positam esse, ex. gr. absolvendo poenitentem quem judicat dispositum, sub condicione *si dispositus es*: secluso enim periculo nullitatis, non apparet gravis culpa irreverentiae. (Salmant. de Sacr. in gen. c. 7. n. 57; S. Alph. n. 28) Nulla erit culpa si condicio hujusmodi apponetur ex causa rationabili. (1)

§ 2. DE REQUISITIS AD SACRAMENTUM LICITE ADMINISTRANDUM.

114. I. Praeter ea quae ad valorem necessaria sunt, requiritur in ministro probitas seu **status gratiae**: quia sancta sancte tractanda sunt, neque decet in statu inimicitiae divinae personam Christi induere. Quare saltem leve peccatum sacrilegii admittunt etiam laici qui, culpae letalis rei, baptismum in casu necessitatis conferunt vel comparti matrimonii sacramentum conferunt.

II. Certum est mortaliter peccare ministrum ad conficienda sacramenta ordinatum qui ea sollemniter, in statu peccati mortalis, conficit. In hoc enim fere omnes DD. conveniunt cum S. Thoma. (4. dist. 5. q. 2. a. 2. ql. 4) Ratio desumitur: ex una parte, e sanctitate sacramenti in quo conficiendo minister agit personam Christi principaliter operantis; ex altera, e strictiore obligatione qua hujusmodi minister adstringitur ad munus suum pro dignitate obeundum. Vid. cum per se et ex officio sit ad hoc munus institutus et spiritualia subsidia recipiat ad illud rite exercendum, merito obligatur ut, cum debita dispositione et sanctitate, id faciat, et ideo, quando aliter facit, gravem irreverentiam et inordinationem committit.

Excipe casum quo urgeat necessitas sacramenti conferendi, neque detur moraliter tempus se ad justificationem, saltem per actum contri-

(1) De baptismo et de extrema unctione in Rit. Rom. (Tit. II. c. 1. et Tit. V. c. 1) cautum est ut exprimat condicio sub qua sacramentum confertur. In reliquis ergo sacramentis sufficit eam mente concipere; immo probabilius sufficit eam implicite et virtualiter in mente habere, ut facit quicumque eadem administrare intendit secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiae. (Gury, II. n. 206)

tionis, disponendi : nam, **cum** sacramenta instituta sint in remedium animarum, non videtur irreverentia, si in extrema illa necessitate, ut subveniatur proximo, ministrantur a peccatore. (Lugo, de Sac. in gen. disp. 8. n. 151)

Etiamsi tempus suppetit, nulla datur obligatio conficiendis sacramentis (excepta Eucharistia, de qua n. 192) praemittendi confessionem : nullum enim viget praeceptum quo obligetur peccator ad statum gratiae recuperandum per hoc sacramentum potius quam per solum contritionis actum. Consultius tamen est confiteri. (S. Alph. n. 34)

115. III. Probabilius est non peccari mortaliter ubi deest una e tribus condicionibus supra **(II)** requisitis ad gravem reatum, nempe si is qui sacramentum in letali conficit non est ad illud munus consecratus, vel si non conficit sollemniter, vel tandem si functionem sacram peragit in qua non proprie loquendo *conficiatur* sacramentum. Hinc probabilius a gravi peccato excusantur :

1° Laici qui, peccati **mortalis** rei, baptismum in casu necessitatis conferunt vel comparti **matrimonium** administrant (quamquam hi graviter peccant quatenus **idem** sacramentum in hoc malo statu suscipiunt). Ita opinantur multi **DD.** cum S. Thoma, qui rationem gravitatis peccati in indigna confectione sacramentorum constanter (ex. gr. 3. q. 64. a. 6. ad 3) repetit ex **eo** quod peccator agat tamquam minister Ecclesiae vel vi ordinis **sibi** collati (Ball. P. n. 37), et probabile censet S. Alph. (n. 32). Is tamen, **cum** Lugo (disp. 8. n. 150) aliisque (ex. gr. Palmieri, in nota ad Ball. **P. I. c.**), putat etiam ministrum non consecratum graviter peccare : **utpote** qui non minorem irreverentiam sacramentis irroget quam si **consecratus** esset.

2° Sacerdos vel diaconus qui sine sollemnitate baptizat in statu peccati **mortalis**. Eadem **est** sententiarum discrepantia ac pro casu praecedente.

3° Sacerdos vel diaconus, qui S. Communionem in mortali distribuit. (Lugo, disp. 8. n. 155 ; Ball. **P. n. 44** seqq.) Haec enim distributio non ita stricte requirit sanctitatem **ministri** ut confectio sacramenti, per quam minister sanctificat et **causat** gratiam. Nam tota in eo est quod localiter applicatur sacramentum, **quod** solum dat gratiam, eodem prorsus modo quo eam daret si **applicatum** fuisset a laico vel ab amente, aut si ipsemet laicus illud acciperet de altari. Multi tamen, cum S. Alph. (n. 35), id grave peccatum reputant : quia sacerdos vel diaconus ita gravem irrogat injuriam huic **sacramento**, eo quod, ut minister ad illud dispensandum consecratus, **ipsum** indigne ministrat : et, sicut in aliis sacramentis minister proxime **per** confectionem concurrat ad sanctificationem suscipientium, ita hic **proxime** concurrat per dispensationem. Sed e

ratione prioris sententiae satis patet discrimen inter confectionem reliquorum sacramentorum et S. Communionis distributionem. Inde obiter concludit sacerdotem, qui in statu peccati **mortalis** celebret, duo gravia sacrilegia committere : unum dum conficit, alterum dum suscipit Eucharistiam. (Lugo, l. c. n. 161) De reliquis sacrilegiis quae varie a variis assignantur, puta quia administrat sibi et quidem indigno (S. Alph. l. c.), non constat tamquam de peccatis distinctis.

4° Qui existens in mortali Eucharistiam tangit immediate vel mediate, puta gestando in processione vel populum benedicendo. Ita censent non tantum (ut liquet) quicumque a peccato gravi excusant eum qui in hoc statu S. Communionem distribuit, sed alii plures, ut Busembaum. (ap. S. Alph. n. 30)

5° Diaconus vel subdiaconus qui in mortali ministrat ad altare. (S. Alph. n. 38)

6° Episcopus qui in mortali conficit chrisma vel oleum sanctum. (ib. n. 39)

7° Episcopus vel sacerdos qui in mortali consecrat templum, benedicit vestes sacras, assistit matrimonio, etc. (ib. n. 40)

N. B. Probabilius unum numero peccatum committit qui, in statu peccati **mortalis**, uno tractu successivo pluribus idem sacramentum confert, ac proinde non est numerus harum personarum in confessione explicandus. Ita de sacerdote qui semel successive plures confitentes absolvit sentiunt Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 135), Ball. P. (de Pecc. n. 273), etc. : neque apparet cur idem dici nequeat de aliis sacramentis quae similiter uno tractu successivo conferantur, puta ubi plures unus post alium baptizantur, confirmantur, etc. (D'Annib. III. n. 254) Ratio est, quia varii isti actus accipiunt unitatem primum ex fine et intentione agentis ; deinde, et praecipue, ex materia ipsa, quia omnes continent irreverentiam contra eundem Deum et Christum. (Lugo, l. c. n. 558) Cfr. Vol. I. n. 168.

116. IV. Sub gravi prohibetur minister sacramentorum quominus, extra necessitatis casum, adhibeat **materiam dubiam**. (Vol. I. n. 68) Idem de forma dicendum : pro qua tamen res practica non est. At, in casu necessitatis, licet adhibere materiam dubiam, quando nulla alia securior praesto est. Sic enim nulla infertur injuria subjecto, cui succurritur in necessitate quatenus moraliter fieri potest, neque admittitur irreverentia erga sacramentum, cui satis consulitur per formam conditionatam.

Excipe Eucharistiam pro qua, ob idololatriae materialis periculum, numquam adhibere licet materiam probabiliter invalidam, nisi forte ad sacrificium complendum. (Lehm. II. n. 120) Materiam quoque proba-

bilissime validam regulariter adhibere licet : quia in praxi aequiparatur moraliter certae (Vol. I. n. 67), neque Deus censendus est requirere ut, etiam in salutis aeternae negotio, majorem quam moralem certitudinem adhibeamus. (Viva, in prop. 1^{am} damn. ab Innoc. XI, n. 26) Iterum excipe baptismum, sacerdotium et episcopatum, propter eorum necessitatem et damnum irreparabile quod ex eorum invaliditate consequeretur : in his enim conferendis vel suscipiendis, debemus, quotiens fieri potest, certiore et securiore viam inire. (Lugo, Resp. Mor. dub. 1. n. 11 seqq.)

V. In administrandis sacramentis servandae sunt caerimoniae quas Ecclesia essentiali materiae et formae adjecit et quas pro tota Ecclesia latina exhibet Rituale Romanum. Quanta sit obligatio in conscientia observandi quaecumque in hoc Rituali praescribuntur, imprimis et verbis Rubricarum et rei natura erui potest : quaedam scil. sub levi obligant, alia vim mere directivam habent. (Lehmk. II. n. 31) Plura de his praescriptionibus explicabimus ubi de singulis sacramentis.

VI. Ad licitam confectionem sacramentorum requiritur etiam ut absit voluntaria et irrationabilis distractio : haec enim reverentiae rebus sacris debitae adversatur. (n. 59) Attamen probabilius haec culpa gravis non erit, nisi sit periculum errandi, quod praesertim in formis longioribus timendum erit. (S. Alph. n. 14) De distractionibus voluntariis infra Missae canonem dicemus n. 253.

§ 3. DE SACRAMENTIS ITERANDIS.

117. I. Tria sacramenta nequeunt iterari seu iterum conferri subjecto quod semel ea valide suscepit, nempe baptismus, confirmatio et ordo. Ratio sumitur e caractere indelebili quem imprimunt. (Trid. Sess. 7. can. 9)

Quare gravè sacrilegium foret eorum iterationem attentare. Graviter etiam peccaret qui extremam unctionem, durante eodem periculo, vel matrimonium, durante eodem conjugio, iteraret, si constaret ea semel valide fuisse collata. Nihil vero obstat iterandae Eucharistiae et poenitentiae.

II. Si dubium rationabile oritur de valore sacramenti collati, licet illud sub conditione iterare, i. e. iterum ponere materiam et formam, ut in baptismo, vel repetere solam formam, ut in poenitentia. Sic enim, absque ulla irreverentia sacramenti, utilitati vel necessitati subjecti

consulitur. Patet quoad baptismum ex Rit. Rom. (tit. II. c. 1. Ordo min. Sac. Bapt.), quoad Eucharistiam ex Missali (de defect. V. 2), etc. Dubium autem eo facilius censerit potest rationabile quo magis necessarium est sacramentum et majora damna ex ejusdem invaliditate profluere possint, ex. gr. e baptismo vel sacerdotio invalide suscepto, ex unctione extrema invalide collata moribundo qui, quamvis sit probabiliter in statu peccati mortalis, confiteri non valeat.

III. Si nullum datur rationabile dubium de valore sacramenti, per se graviter peccat illud iterans, cum graviter desit reverentiae quam ritui sacro debet. Plerumque tamen a gravi peccato excusantur iterantes ob hujusmodi dubium, praesertim ubi tempus deliberandi deest : hi enim scrupulis perturbari solent. Sed curare debent ut morem hunc irrationabilem exuant.

118. IV. Iteratio condicionata ex obligatione facienda est, quotiens non tantum adest dubium prudens de priore collatione sacramenti, sed merito timendum est ex invalida collatione grave damnum subjecti, aut aliorum. Patet ex obligatione quae ministro sacramentorum incumbit, praestandi subjecto proprium ministerii sui fructum.

In applicanda hac generali regula, inspiciendum est in singulis casibus quantum damnum et quanta probabilitate immineat subjecto, si iteratio praetermittatur ; simul aliquatenus respiciendum est ad incommodum quod ministro subeundum est ut sacramentum iteret. Qua in re, non tantum natura singulorum sacramentorum spectanda venit, sed simul concreta adjuncta in quibus administratio contingit : sic manifeste majus periculum detrimenti imminet moribundo sensibus destituto qui solam extremam unctionem et absolutionem sub conditione accipere potuerit, si de valore extremae unctionis dubitatur, quam si idem contingit alii moribundo qui rite confiteri atque Eucharistia muniri potuerit. Jamvero potest sacramentum esse necessarium subjecto ne pereat, ut baptismus, et in quibusdam adjunctis poenitentia vel extrema unctio ; potest quoque necessarium esse ne subjectum, positus actibus invalidis, puta propter invalide susceptum presbyteratum, graviter aliis noceat. In utraque illa necessitate postulat profecto caritas ut sacramentum sub conditione iteretur nisi forsitan (quod rarissime fiet) maxima incommoda ministro aliisve ex iteratione timeantur, dubium autem de valore prioris collationis valde exiguum sit. Sed fieri quoque potest ut sacramentum non sit necessarium ad vitanda gravia damna, sed tantum ut majus bonum procuretur, qualis est confirmatio et diaconatus ex natura sua, extrema unctio vel poenitentia in multis adjunctis. Si dubium rationabile de valore talis sacramenti oritur, per se utique jubet caritas vel

justitia ut iteratio fiat, ne magno bono privetur subjectum, potissimum si de sacramento non iterabili agitur. Sed facilius continget ut, spectatis ex una parte quantitate dubii et bono quo subjectum forsitan privatim existat, ex altera parte incommodo quod ministro iteranti subeundum sit aut vulgi admiratione vel scandalo, quod ex iteratione timendum sit, prudenter judicetur iterationem non esse obligatoriam vel etiam non expedire.

Tandem adverte fieri posse, etiam in sacramento maxime necessario, ut liceat quidem, minime vero oporteat ritum sacramentalem iterare. Exemplo sit qui, in ordinatione sacerdotali, calicem et patenam teligisset tantum *immediate post* formam ab episcopo prolatam. Quamvis nulla solida ratio sit existimandi hunc invalide fuisse ordinatum, cum sufficiat moralis unio inter materiam et formam (n. 109), posset tamen ordinatio sub conditione iterari ob extrinsecam auctoritatem quorundam veterum AA. physicam simultatem requirentium, praesertim si subjectum hujus ordinationis hoc dubio in se levissimo plurimum angeatur. (Lugo, Resp. Mor. l. 11. dub. 33)

§ 4. DE OBLIGATIONE MINISTRANDI SACRAMENTA.

119. I. Qui ex officio curam animarum exercet tenetur ex justitia subditis suis rationabiliter petentibus ministrare sacramenta. Ad hoc enim se obligavit dum munus pastoris assumpsit; insuper intercedit contractus, vi cujus accipit stipendium, vel sustentationem, vel saltem honorem a subditis, sub onere praestandi ea quae sunt pastoris: inter quae reperitur administratio sacramentorum. Sic e justitia obligantur, relate ad saeculares subditos, episcopi, parochi et qui cum ipsis curam subsidiariam ex obligatione habent, quales sunt coadjutores parochorum; relate ad Regulares, praelati proprii. (La Croix, l. 6. p. 1. n. 133: S. Alph. n. 58)

Peccatum grave contra hanc obligationem suam duplici ratione admittere potest qui curam animarum ex officio suscepit: primum, si sacramentum denegat subdito qui in gravi necessitate spirituali versetur, vel qui ex illa denegatione grave detrimentum passurus videatur; deinde, si, per modum consuetudinis, sacramenta subditis rationabiliter petentibus denegat, vel in iis concedendis se adeo morosum praebeat ut probabile sit grave damnum spirituale inde oriturum esse uni vel pluribus eorum, ex, gr. parochianos jam multo rarius ad sacramenta accessuros esse eo quod parochus paucis tantum diebus vel horis, populo incommodis, confessiones audire vel S. Communionem distribuere velit. Denegationi aequiparabitur nimia cunctatio, si ex ea periculum notabilis damni timendum sit, ex, gr. si parochus valde tardum se prae-

beat in adeundis aegrotis periclitantibus, ut eorum confessionem excipiat et Viaticum ministret.

Leviter iidem peccant, si extra praefata adjuncta semel vel raro sacramenta denegant subdito rationabiliter petenti. Quandonam autem censendus sit rationabiliter petere, ex Ecclesiae legibus et locorum consuetudinibus dijudicandum est. Ab omni vero culpa immunes essent qui denegarent irrationabiliter petenti, puta scrupuloso volenti cotidie confiteri. Manifestum quoque est eos, quoad fideles non subditos, in eadem conditione reperiri ac si curam non exercerent ex officio.

Quodsi sacramenta ministrare nequeant sine propriae vitae periculo, iidem tenentur ea ministrare suis in gravi vel extrema necessitate positus. In iis tamen adjunctis non tenentur in rigore conferre alia sacramenta quam baptismum et poenitentiam. In hunc sensum respondit S. C. C. 12 Oct. 1576, probante Gregorio XIII: "Parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et poenitentiam, „ Sufficit etiam ut parochus ea per alium conferat, quamvis a paroecia, ob luem grassantem, discedere minime liceat, ut patet ex alio responso S. C. C. 6 Dec. 1576 (S. Alph. l. 6. n. 233). Decet autem quam maxime ut moribundis etiam Viaticum et extrema unctio tribuantur.

120. II. Qui curam animarum non exercent ex officio, puta missionarii, sacramenta tantum *ex caritate* ministrare tenentur, vid. quando e lege generali caritatis tenentur succurrere proximo in spirituali necessitate posito (Vol. I. n. 217). Ergo sub gravi tenentur sacramenta ministrare ei qui in gravi necessitate versatur, modo id absque gravi incommodo suo possint, puta moribundi confessionem excipere, deficiente alio sacerdote qui id facere possit et velit.

In extrema autem vel quasi-extrema necessitate proximi (Vol. I. n. 217), tenentur etiam cum periculo vitae ministrare sacramenta baptismi vel poenitentiae. Haec tamen obligatio non exsurget, nisi constent haec tria: 1. Spem juvandi saltem aequae certam esse ac periculum subeundum. 2. Proximum non habere alium a quo sublevetur. 3. Eum morali certitudine damnatum iri nisi a te sublevetur.

§ 5. DE OBLIGATIONE DENEGANDI SACRAMENTA INDIGNIS.

121. I. Minister sacramentorum per se et regulariter sub gravi tenetur ad ea non ministranda indignis.

Dicitur: *per se et regulariter*, ut abstrahatur a sacramento matrimonii in quo peculiaris est condicio ministri (n. 462), et ut indicetur quando-